



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia

Roberti, Johannes

Leodii, 1632

S. Ebrvlphvs Abbas, Gallvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45032

S. EBRULPHVS
ABBAS, GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Vita antiquitus Gallicè
conscripta.

*Childebertus Rex, eius nominis primus, eum
creavit Magistrum Libellorum Supplicum:
eratq; Orator facundissimus, aptissimus
CAVSIS AGENDIS inter Aulicos.*

TAntus cum esset Ebrulphus in Au-
lâ Regis magni, multo maior euasit
in Aulâ Regis Maximi; Cuius vt audiuit
diuinam illam vocem: *Qui vult venire
post me, abneget semetipsum, & tollat cru-
cem suam, & sequatur me: protinus eam re-
gulam sibi sequendam putauit.* Itaque pa-
rentibus ortus, non modò illultribus,
sed & copiosis: cùm etiam vxorem ha-
beret pari nobilitate, & opibus: vxorem
quidem sanctis Christi ancillis, volen-
tem commendauit; opes verò in egenos
vniuersas erogauit.

Tum

Tum liber, & expeditus, eremum petens cum socijs aliquot, deducente DEI Angelo, in locum venit, situ quidem asperum, & horridum, sed crySTALLINIS fontibus irriguum. Ibi, cum tuguriola aliquot, arborum ramis, & cespite contruxisset; & vni DEO, salutique suæ vacarent: quanto magis latere peroptabant, tanto maiores ad eos concursus fiebant, Christianarum virtutum odore alliciente.

Itaque qui ignotum viuere se posse sperauerat; postulantibus tot fidelium cœtibus, ne talenta sibi concredita abscondere videretur, eò deuenit, vt quindecim Monasteria extrueret, & regeret: in quibus non tantum viri; sed & sacrae Virgines angelicam inter homines vitam ante exutam mortalitatem, ducebant. Omnino cellulae mille, quingentę fuisse scribuntur.

Poteram hic longum texere virtutum eius catalogum: poteram Miraculorum (in quibus illud ad æternam memoriam illustre, Quod cum ex eius alumnis v-

nus

nus, non perceptâ Eucharistiâ defunctus esset; eatenus illi vitam restituit, dum diuino illo viatico muniretur) sed solitæ breuitatis memor, de extremo vitæ eius actu, illud solum dicam, Languebat, deficiente natura Senex octogennarius: & forte Christi, ad quem anhela- bat, amore magis languebat. Afferebat ad eum pro se quisque vel cibi, vel portionis, quod afflictum recreare posse existimabat: at ille, reiectis omnibus, ipsos septem, & quadraginta dies, solo Christi sanctissimo Corpore, & sanguine refocillatus, transegit: cum interea non cessaret pro more, fratres suos diuinis monitis confirmare.

Verus hîc, vti semper sermo tuus, Christe, Veritas æterna, quo dixisti, Ministros tuos, non modo æqualia; sed maiora etiâ facturos, ijs, quæ tu Omnipotens patraisti. Quadraginta dies sine corporeâ escâ aliquando in deserto vixeras: Ebrulphus tu^o ad hûc numerû, septenos addidit. At tu illi infinitas beatitudinis æternitates.

Ad illas migravit anno Christi 525. 29. Decemb.
 Hæc ex Vitâ quæ apud Surium, 29. Decemb.